



**R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia**

**Tamburini, Tommaso**

**Lugduni, 1689**

Secundus casus de permutatione mercis, cujus venditio sit prohibita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

venditione absolute negat: absoluta autem negatio, cum sit malignantis natura, omnem venditionem, etiam unicam negat: De vino, oleoque non negat absolute, sed solum sub nomine proventus.

Ad tertium: Cum in hoc ultimo loco veluti per occasionem dicat declaratio: *Nec utilitas ulla perveniat* debet intelligi iuxta ipsam Constitutionem, in qua per se lata est lex: et constitutio clare dixerat: *Nec fructus qui redditum loco esse possint*: & eiusdem Constitutionis declaratio dixerat, non licere proventum: ergo eodem modo in hoc ultimo loco, sunt intelligenda verba declarationis de utilitate veluti habituali, non vero de valde rara, & semel per accidens contingente.

Hec potius dubitando, quam affirmando dicta, sunt Casus. Nam ceterum ultimum iudicium sit, ut eo solatur R.P. Noster Generalis.

Secundus Casus.

De permutatione Mercis, cuius venditio sit prohibita.

11. Secunda Quæstio sic habet: In Sicilia adest flagorosa prohibitio Summi Pontificis Urb. VII. quæ incipit: *Regnum Sicilia ultra Pharrum*, data 1633, die 28. Apr. præsentis, & executiata Panormi die 9. Julij 1633. in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub poena excommunicationis latæ sententiæ, contra Ecclesiasticos mactantes ea animantia, quæ ad colendam terram usui sunt, boves, vaccas, vitulos, vitulâsq. Atque super hæc tota re tres Delegati sunt constituti ab eodem Pontifice, Archiepiscopi Panormitanus, & Messanenſis, atque Episcopus Mazzarenſis. Porro, Procurator cuiusdam Monasterij, obtinuit facultatem ea occidendi in eisdem Monasterij usum: ita tamen coarctavit Delegatus facultatem, ut si quid forte carniū ipsi superfluum esset, non venderetur sæcularibus, sed Ecclesiasticis, idque sub eadem excommunicationis latæ sententiæ, & in virtute sanctæ obedientiæ. Is ergo Procurator, ne ementes Ecclesiasticos quærere cogatur, quod ipsi ex mactatis carniibus supererat, dabat cuidam Macellario sæculari, ut is scilicet, sequenti, v. g. hebdomada redderet alterum tantum carniū, quantum accepisset: sic fiebat, ut Monasterio carnes non deficerent, & Procurator contra formam concessionis eas nequaquam venderet. Legitimè id factum est; Quid si carnes commutasset pro aliis rebus, vino, frumento, vestibus, &c.

12. Profecto (præseindendo ab aliis legibus in contrarium, vel inconvenientiis, quæ facile hæc in re esse possent) legitimum utrumque pronuntio. Ratio est, quia longè, ut diximus, diverſæ sunt, venditio, & permutatio. Cùm ergo ea prohibitio sit odiosa, atque adeo restringenda, & propriè dicta venditione merito eam interpretamur. Merito insuper, nam accepta pecuniâ carnes vendere, est ipsissimam Macellariam artem exercere, quod non est, modo dicto, commutare. Idem autem non diximus in præcedenti quæstione, si quidem ibi adfuit expressa legislatoris dispositio in contrarium, quæ hic, ne supponimus, non apparet. Neque item esset idem, si prohiberentur vendinociva Reip. v. g. Pisces foetidi, herbe venenosæ, frumentum corruptum: hæc enim neque vendere, neque permutare tunc liceret, quia ex ipso sine prohibitionis clarè apparet, ac præsumi debet eam comprehendere universaliter quamcunque onerosam transactionem in alium: (vide in simili Lcſi. cap. 21. dub. 1. num. 4. & de Lug. l. 1. d. 26. ſect. 3. num. 21.) & de hac præsumptione loquitur Molina, tom. 2. d. 396. n. 7. dum ait, quoties res aliqua vendi prohibetur, censeri etiam permutari prohibitam.

Venditio voluntaria esse debet.

13. Dictum est quind: (& quidem voluntariè) Non